dominum denegat ſed corde opere ore et re
diligit, ut ſe ſe vitæ diſcrimini pro eo ut Niſus
olim pro Euryalo ſibi chariſſimo ſubiiciat, et non
tantum amat dominum et nutritium ſuũ et notos
à quibus ſuſtentabatur verum etiã orphanos deſertos
et expoſitos, quis enim Cyrum primum et potentiſſimum
Perſarum Regem ad tantos honoris apices
evexit niſi canis? quis te Cyre, te enim interrogo,
lacte à materno avo expoſitum enutriuit et
ut olim lupa Romulum et fratrem eius Remum
lactavit? nunquid canis te ex ceſpite et tuguriolo
ad ſolium regium, à pedo ad ſceptrũ Perſarum
imperii, à petaſo ad diadema, à grege paſtoritio
ad ſatellitium vocavit et ad ſupremũ gloriæ
humanæ faſtigium extulit? dudum enim penitus
fameſque vitæ tuæ filum abſcidiſſet ſi non tibi
lac propinaſſet eoque te ſuſtentaſſet. ſed miſſum
faciam deinceps canem potentiſſimi totiusque Perſidis
Imperatoris nutritium et Silanũ et ad fidelitatẽ